



## QUAESTIO II.

### De Processione Spiritus Sancti à Patre Filioq;

31. *Proprietatem hypostaticam, qua à Patre Filioq, Spiritus Sanctus discernitur, in aeterna illa ac prorsus incomprehensibili Processione ab utroque consistere, ex verbo Dei affirmamus.*

32. *Etsi verò Filio quoque in scripturis aliqua tribuitur processio, ut Ioh. 8, 42. illius tamen procedere est ἐξελθεῖν, exire, quatenus nimirum Filius DEI assumpta carne sese in mundo manifestavit, inter homines est versatus, & tanquam magnus ille Angelus foederis munus legationis amplissimum à Patre sibi delegatum obijt.*

33. *Et nullibi in scripturis de Filio predicatur τὸ ἐκπορεύεσθαι: sed duntaxat τὸ ἐξελθεῖν, uti videre est Ioh. 8, 42. G. 13, 3. G. 16, 28. &c.*

34. *De Spiritu verò Sancto predicatur τὸ ἐκπορεύεσθαι, quod non missionem aliquam extrinsecus illatam, sed internam ejus hypostaticam proprietatem, qua à Patre Filioq, realiter distinguitur, notat.*